

Ad
195



METHODICA

SEV DE
STVDIIS APTE INSTVENDIS
PRAECEPTA.



LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII.

23. 2. 06.

METHUEN

SEN DE

STUDII ARTE MATHESIS

FRANCISCA

1811

1811

FRANCISCA MATH. SEN DE



AMICIS
CARISSIMIS
COMILITONIBVSQVE
DILECTISSIMIS

DEDICAT
WILH. CHRIST. MÜLLERVS
VALEDICTVRVS.

KILIAE.
MDCCLXXVII.

AMTIS

CAPISSIMS

COMMITTEEVORSITZ

DIREKTIVS

DIDICAT

WILL CHRISTIAN MULLER

VERLEGER

KIDIAE

MDCCLXXVII





METHODICA,
SEV DE STVDIIS APTE INSTI-
TVENDIS PRAECEPTA.

DE METHODICA ET STVDIIS IN
GENERE.

Mentem humanam facultate instru-
ctam esse, plura cognoscendi, qui-
libet experientia edoctus nouit. Neque
res solum, earumque ideas, separatim
repraesentare, sed etiam easdem legitime
inter se conferre potest. Omnis autem
illa facultas parum prodesset nobis, nisi
rerum cognitarum conscii essemus, quippe
sine quo in vsum conuerti nihil cognito-
rum potest. Tum vero, si nobis rei ali-
cuius tanquam vel verae vel falsae, certae
vel probabilis conscii sumus, scire eam
dicimur. Quum autem incipimus scire ali-
quid, quod antea ignorabamus; discimus
illud. Vnde qui nihil vnquam didicit,
A scire



scire aliquid dici nequit, qui multa didicit,
multa scit.

Sunt vero, quae discimus usu quoti-
diano, quum obuia nobis sint adlidue; sunt
alia, quae non nisi multa opera, multarum-
que aliarum doctrinarum antea cognita-
rum, collatione, vel longa experientia,
aliorumque cognitionis cum nostra colla-
tione, disci a nobis possunt. Illa sine alio-
rum ope a quolibet facile perspiciuntur,
haec discere, non semper in nostris viribus
solis positum est. Vnde & ideae aliorum
nobiscum sunt communicandae, ac ab
aliis remedia suppeditanda nobis, eo feli-
cius instituendae plurium idearum com-
parationis, vnde oritur institutio, siue eru-
ditio actiua vel passiuua, quam celerio-
rem feliciorumque cognitionis amplificatio-
nem promouere nemo sano instructus
sensu ignorabit, vel negabit.

Nos duplici praesertim cognitione
rerum gaudere, ex Philosophia constat.
Vel enim esse & fieri aliquid tantum sci-
mus, vel rationes simul perspiciamus, cur
sint vel fiant omnia, illa historicam & vul-
garem, haec philosophicam & eruditam
cognitionem constituit. Huius prae illa
praestantia ex solis definitionibus patet;
vnde & is tantum eruditus vocatur, qui
habi-



habitu pollet cognitionis plurium rerum philosophicae, et habitus ipse est eruditio subiectivae *) sumpta; non igitur hoc nomine digni sunt, nisi qui plura in nexu nouerunt, quod et in rebus historicis, et scientiis, stricte sic dictis, locum habet.

Quum nihil erudite cognoscamus, nisi nexum veritatum simul habeamus, (vt iam dixi,) inter mentis facultates cognoscendi, praecipue intelligentiae et rationis vsu opus est erudito, quae acumen aliquod ingenii secum coniunctum habeant, operet. Quum vero omnia a nobis non nisi successiue cognoscantur, et ad nexum perspiciendum plurium veritatum, recordatio necessaria sit, quae sine memoria non obtinetur, memoria etiam bene excolta opus est erudito. Quae facultates omnes, quum, si ad habitum euehi debent, crebrum assiduumque exercitium requirant, quod facultatum mentis cultura vocatur, sine animi cultura, nulla speranda est eruditio.

Plurium rerum cognitio non sine labore acquiritur, nec sine opera quadam excoluntur mentis humanae facultates; vnde operae impendendae sunt, rebus pluribus erudite perspiciendis, quas vocamus

A 2 studia:

*) Permittas velim hunc terminum artis barbaricum.



studia: Et quum ea, quae erudite sciuntur vel addiscuntur, litterae audiant, is, qui in studia incumbit, est litteratum studiosus. Prout ergo non solum is est eruditus, qui ex negotiis eruditi vitam sustentat; — nec ii omnes quidem eruditorum nomine digni sunt, sed ii tantum, qui vera philosophica gaudent cognitione, dum etiam aliis negotiis, vitae sustentandae causa, occupati; sic nec omnes ii, qui olim ex eruditione sua vitae sustentationem quaerere cogitant, veri sunt literarum studiosi; nec ii, qui biennium vel triennium in Academia exigunt.

Quum cuique hominum concessae fiat a Deo mentis facultates cognoscitivae, discendi plura facultate gaudet quilibet. Sed quum facultatum dari possint gradus, non quilibet aptus est, eruditae acquirendae cognitioni, sed maior requiritur facultatum gradus, qui docilitatem constituit. Gradus iste vero quum apud omnes homines non sit vnus idemque vnus hominis docilitas maior esse potest quam alterius, licet posterior eo non fiat ineptus ad studia. Sed quum societas humana plura requirat negotia, quae & ipsa maiorem intellectus poscunt gradum, ex sola docilitate nulla ad studia cuncta excolenda sequitur obligatio



gatio, nisi & aliae accedant rationes mouentes, illud suadentes.

Id quod ens intelligens obtinere quaerit, agendo finem constituit. Studiorum finis itaque est, & cognitio philosophica, & maior animi facultatum cultura, & aptitudo ad vsum & felicitatem generis humani applicandi ea, quae sciuntur. Finis sine mediis obtineri potest nullus, quippe quae rationem, in se continent, cur existat finis. Labor itaque ac opera, quam litteris impendimus, mediiorum hic subit rationem. Sed quum finis obtineri nequeat nisi media sint fini conuenientia, haecque vel sufficientia vel insufficientia esse possint, non quaelibet opera, in studiis collocata, fini obtinendo sufficiens est.

Vere itaque is demum est litterarum studiosus, qui

- I. non superficialia atque vulgari cognitioni, sed philosophicae dat operam;
- II. qui assiduam operam illis nauat, atque desiderio flagrat, in dies plura discendi;
- III. qui tot discere laborat veritates, quot discere potest, nec eas tantum, quae vitae olim sustentandae inseruire possunt;
- IV. qui voluptatem capit ex litteris discendis; et



V. denique, qui legitimis utitur mediis, fini obtinendo sufficientibus. Atque quum ex litterarum studio fieri debeat eruditus, is tantum, qui ita agit, eruditionis acquirendae spem aliquam concipere potest. Ex quo, quod maxime dolendum, consequitur, per paucos nomina haec honorifica arrogantium sibi esse vere litterarum studiosos, minoremque adhuc vere eruditorum numerum.

Ex dictis luculenter apparet, non qualemcunque discendi & in studia incumbendi modum fini intendo convenientem esse, unde determinationes dentur oportet, quae in studiis obseruandae sunt. Sed enunciatio, quae ostendit determinationem rationi cuiquam conformem, dicitur regula; dantur itaque regulae de studiis instituendis. Quae quum fini obtinendo aptae esse debeant, ex discendis & indole cognitionis eruditae repetendae sunt. Quum autem regulae istae ad media sint referendae, sine quibus finis non obtinetur, nemo in studiis felices sibi promittere debet progressus, qui obseruandis iis operam impendit nullam. In discendo interim plura pendent a docente & a discente, vtrinque igitur certae praescribi possunt



possunt regulae; hic vero illae tantum, quae a discipulis obseruandae, traduntur:

Methodus, stricte sic dicta, est ordo cogitationum, quae itaque reperitur in similitudine modi, quo cogitationes sibi succedunt. Latius quilibet ordo in actionibus praecipue mentis, nomine isto venire solet. Methodus itaque in studiis ordine absoluitur in studiis obseruando, qui quum supra definitis regulis determinetur, cum iisdem conueniet. Scientia de Methodo in studiis obseruanda est *Methodica*, cuius quum ratio reddi possit, ex fini & indole eruditionis demonstrari poterit; atque scientiae nomen doctrinae huic iure competit. Satis inde constat, quam sit utilis haec scientia cuilibet litterarum vere studioso.

Differunt eruditionis partes & objecto, & cognitionis modo. A priori cognosci aliquid dicitur, si necessaria consequentia ex primis, iisque veris principiis deriuatur. A posteriori, si experientiis legitime institutis, & testimoniis aliorum perspicitur. Solet integer eruditionis ambitus in quatuor distribui ordines, quorum primus circa Theologiam occupatur, quae quatenus naturalis a priori, quatenus reuelata, a posteriori cognoscitur. Secun-



us ordo Jurisprudentiam complectitur, quae qua naturalis a priori, qua ciuilis a posteriori ex legibus cognoscitur positiuus. Tertius Medicinam, quae circa corporis humani statum occupata, maximam partem a posteriori cognoscitur. Quartus ordo ea complectitur, quae reliquis omnibus fundamenti loco sunt substernenda, nimirum Philosophiam & Mathesin, quae omnium rigorosissime a priori demonstrantur, nec non historias atque Philologicas disciplinas, quae a posteriori experientiiis, testimoniis & vsu cognoscuntur, atque simul sumtae elegantiores litteras constituunt.

Ea quae a posteriori cognoscuntur, praecipue memoriam occupant, licet & ingenii & rationis vsus maxime in iis sit necessarius. Ea quae a priori cognoscuntur, rationem praesertim & intellectum occupant, licet & memoriae vsus & ingenii non sit excludendus; vnde cum quaedam mentis facultates occupationes quasdam in litteris omnibus communes habeant; quaedam autem magis in vna, quam in altera occupentur, facile patet in Studiis instituendis obseruandas esse regulas quasdam generaliores, omnibus eruditionis partibus communes, nec non regulas



gulas specialiores, quae in vna magis obtinent disciplina, quam in altera.

Pars altera Methodicae
Regulas sistens
studiorum instituendorum generaliores.

DE ORDINE

IN STUDIIIS OBSERVANDO.

Ordo est similitudo in rerum collocatione, i. e. prout coexistunt, vel se invicem sequuntur. Quum itaque omnia simul disci nequeant, nec omnis ordo in discendo aequae sit commodus, regulae reddi debent, ordinem hunc determinantes. Quae vel ad integrum omnium disciplinarum ambitum, vel ad singulas disciplinas earumque partes pertinent.

Inter disciplinas & scientias dantur quaedam, quae reliquis fundamenti loco sunt substernendae, aliae autem non inter se ita cohaerent, vt vna ex altera necessario lucem quamdam accipiat. Ea quae fundamento sunt reliquis, vel principia continent, ex quibus reliquarum veritatum certitudo est deriuanda, vel mentem



praeparant ad reliqua, vel faciliorem reddunt saltem institutionem de reliquis.

Vnde regula illa oritur communis: Illae sunt praemittendae disciplinae, quae reliquarum in se continent fundamenta, ex qua speciales sequuntur regulae, quarum prima est: Eae inter scientias disciplinasque reliquis sunt praemittendae, quae reliquarum principia continent. Quae eo nititur, quod fieri plane non potest, ut principiata cum rationibus suis rite intelligat aliquis, nisi principia antea perspecta habeat; quippe quae principiatorum rationem in se continent. Quum autem inter scientias stricte sic dictas, Philosophia & Metaphysica inprimis omnium reliquarum principia complectatur, merito ab illa in discendis scientiis initium fiet.

Eadem est ratio in Philologicis disciplinis, quum nullus scribendi habitus sit sperandus, sine Grammaticae exacta cognitione, a qua itaque initium fiat oportet. Artis Oratoriae & Poeticae quum fundamenta contineat Grammatica, haec illis iure praemittitur. Quumque integra Philosophia ad intelligendas Theologiae, Iurisprudentiae & Medicinae doctrinas multum faciat, integra illa locum ante Theologiam, Iurisprudentiam & Medicinam



cinam vindicat sibi. Geographia quum necessario requiratur, ad intelligendas historias, illa his est praeponenda; sic ad sanam Sacrae Ser. interpretationem e. g. creationis Mosaicae terrarum orbis explicationem &c. a natura non abhorrentem, pernecessaria est naturae inuestigatio, siue Physicorum studia: nam Prophetas & alios Bibliorum scriptores minime naturalis philosophiae fuisse doctores, neminem fugit sano sensu instructum; — — & sic in reliquis.

Praemittenda quoque sunt reliquis ex eadem regula generaliori, quae faciunt ad faciliorem reliquorum intelligentiam, vel mentem praeparant ad ea. *) Quum enim mens subsidiis instructa omnibus feliciores sibi in litteris promittere possit progressus, ac omnia, quae mentem instruunt nostram, probe obseruanda; & ad hoc respiciendum erit in discendorum ordine litterarum vere studioso. Vnde si de ordine scientiarum sicut dictarum quaeritur,

*) Hanc ob causam existimo, infantes puerosque, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, nouitatis auidos, historia naturae instruendos esse aptiores, ad confirmandam de Deo eiusque attributis doctrinam, totamque naturalem religionem, sine qua vix capi potest reuelata.

tur, dubium est nullum, quin omnium prima esse debeat Logica, quae & vtiliter reliquis disciplinis, si exacte addisci debent, praemittitur, quum intellectum praeparet, ad omnia cognoscenda vera cuiuslibet generis.

Inter reliquas disciplinas, quarum vna non continet principia alterius, nec alterius promouet cognitionem, parum refert, qua ordine tractentur illae. Quum interea obseruemus, magis aptam esse teneram aetatem capiendis iis, quae memoriam occupant, quam aliis, quae maturius requirunt iudicium, ac solis adsuetos scientiis aetate maturiori, minori voluptate linguas addiscere solere, hic aetatis ratio potissimum est habenda, atque linguae scientiis proprie sic dictis sunt praemittendae, licet id de Critica linguae notitia non fit intelligendum. *) Cui adhuc accedit alia ratio, quod nimirum linguarum peritia requiratur, & ad libros legendos de scientiis scriptos, & ad rite intelligendos disciplinarum terminos technicos, & in quibusdam scientiis ad eruendum ex fontibus suis doctrinas, quod ei, qui nomen
vere

*) Sic etiam non de linguae gustu in puerili aetate — vt patres quidam superexigunt a praeceptoribus.



vere eruditi iure tueri voluerit, quam maxime est necessarium.

Historicae disciplinae, & scientiae stricte sic dictae, separatim intelligi possunt, vnde iterum parum refert, quo ordine se inuicem excipiant. Quum interim generalior historiarum peritia non sit nisi solius memoriae opus, merito haec in aetate tenera praemittitur reliquis. Accuratiores vero historiae cognitio cum iam maturius de auctorum fide, eventuumque dubiorum maiori minorique verisimilitudine iudicium requirat, vix obtinebitur legitime nisi antea Logices cognitione sis instructus. Vnde Logicam cuiuslibet litterarum studioso, qui maturiori iam uti coepit iudicio, summe necessariam ac omni veri nominis in reliquis litteris eruditioni esse praemittendam, nemo dubitat.

Fieri itaque dum potest, ut litterarum vere studiosus hoc ordine progrediat, minime ordo ille est negligendus. Dum autem, quod plerumque ob temporis angustiam est necessarium, plura simul sunt discenda facilia plerumque cuiuslibet artis sine reliquarum ope intelliguntur, vnde donec subsidiis ad altiora progrediendi instruaris, addiscere illa sine damno poteris. Et si occasio deest, principia



cipia audiendi eorum, quae discimus, neque nocebit, si ea, quae sine principiis disci possunt, retineas atque historice discas, quae cum rationibus omnibus nondum perspicias, quum historica philosophicae cognitioni sternat viam.

Ordo etiam datur inter partes artis, scientiaeque cuiuslibet, quae vel sunt integrae artium scientiarumque sectiones, vel singulares veritates. Ad vtrumque eadem applicandae sunt regulae, vnde peruersam eligit Methodum, qui de veritatibus rite perspiciendis est sollicitus, quarum notiones vel principia haud recte tenet. Vnde & in addiscendis litteris omnibus ordinem sequaris doctrinarum, prout vna ex altera est deriuanda, & si dubia & obscura videntur quaedam, cuncta ad prima vsque reduces principia, donec nihil maneat residuum, quod obscurum tibi sit vel dubium. Sic studiorum ordine legitimo efficies, vt breui tempore capias discasque plura, quam sine ordine vlllo discas per totum quo in studia incumbis tempus.

DE VIRTUTIBVS

STVDIA PROMOVENTIBVS.

Virtus quum sit habitus, legi naturae conformiter instituendi actiones suas,



suas, *) ac vniuersalis naturae lex in eo consistat: Fac ea, quae te statumque tuum reddunt perfectiorem, omitte contraria; **) nec minus certum sit, perfectiores reddi homines, intellectus emendatione, virtutis studium, subsidium esse apertissimum, studiorum rite instituendorum, non est dubitandum. Quod & inde patet, quod tollantur virtutis studio innumera impedimenta, quae retinent mentem, quo praestare illa possit, quae a vero litterarum requiruntur studioso.

Nostram dum quaerimus perfectionem, consensum omnium actionum nostrarum, ad finem obtinendum communem intendimus. Finis autem actionum omnium vltimus idem est, qui finis integri rerum nexus, gloria nimirum, vti confirmant aequi rerum aestimatores Philosophi, promouenda diuina. Vnde & studiorum finis vltimus alius esse potest nullus. Eo itaque dirigas cuncta oportet, vt is obtineatur. Quod quum fieri nequeat,

*) Sic & plurima tam Mosaicae, quam Christianae religionis praecepta Diuina nisi hac lege videtur.

**) Cuius, recentioribus paucis legum vtiibus, animum adiungentibus ad Philosophos, exceptis, facile intellectu est: sine aliorum detrimento. Sed de eo hic minime est sermo,



queat, nisi diligenter meditatus fueris finem huncce atque perspecta habeas attributa diuina, ex quibus repetendae sunt rationes actionum mouentes, & ad hoc felices si sperare volueris in studiis progressus, obligaris. Virtus vero, quae actiones hominum dirigit attributis diuinis conformiter, mentemque voluntati diuinae & in minimis assidue obsequentem — vocatur pietas, ad quam itaque ipso studiorum fine obligaris.

Mens humana ita est comparata, vt non appetat nisi quae tanquam bona cognoscit, atque quum intuitiua boni cognitio sit, voluptas non appetit, nisi quae voluptatem pariunt, quae autem non appetuntur mente, insigni cum difficultate discemus. Vel enim auersamur illa, vnde nihil laboris iis infumemus, vel saltem minimi facimus, vnde nec rerum caussa, quae minimi sunt faciendae, molestiam subibimus magnam. Ex studiis itaque capias voluptatem oportet, si prosperos in iis cupis progressus, quod facile obtinebis, dum summam eorum vtilitatem saepius intueris, nec difficilibus initio statim obruis mentem, sed ad difficiliora progredieris a facillioribus, aliorumque exempla, qui litteris maxima sibi



sibi pararunt commoda, frequentissime consideras.

Diligentia est virtus, labores legi naturae conformiter instituendi, vel ita agendi, prout & perfectio nostra iis promouetur, & finis, quem intendimus, obtinetur. Unde cuncta ad diligentiam sunt referenda, quae faciliorem promouent in studiis progressum, conamina. Praecipuum eorum est assiduitas, quae in haud interrupta studiorum colendorum continuatione consistit. Quum enim facile obliuioni tradantur, quae didicimus, nisi continua recolantur memoria, atque continentur, certe nihil magis est necessarium litterarum studioso, quam assiduitas, quae itaque injungit nobis:

- I. Ut institutionem negligamus nunquam, quod nexu turbati difficulter ea, quae sequuntur, intelligimus. *)
- II. Nec diem solum, sed nec horam quidem transigamus otiosi.
- III. Nunquam in discendo desinamus, sed tantum discamus, quantum per tempus, occasionem & vires fieri potest.
- IV. Nec satis officio nostro fecisse credamus, antequam, quae meditamur,

B

vel

*) Qua de re, Amice suauissime, abhorreas velim illud germanicum schwanzen!!!



vel audiuius, rite intelligamus; sed legendo, audiendo, ac meditando pergamus, quoad adhuc restat aliquid, quod difficile nobis videtur.

Iuuant diligentiam maxime & consuetudo, quam crebriori assiduitatis exercitio acquirimus, & crebrior vtilitatis rerum, in quibus versamur, consideratio, & molitorum vitiorum remedium esse diligentiam cogitatio, & officiis suis satisfaciendi legitimum desiderium, & falsae de insuperabili studiorum difficultate persuasionis abjectio, & frequentior eorum, quae diligentia effecta sunt contemplatio, & aliorum qui diligentiam adhibent in studiis exemplum cum commodis, quae exinde in ipsos redundant. Quum & pigritia varios habeat fontes, solícite inquirere illos decet, ac rite perspectos occludere. Atque quum plerumque ex voluptatum nimio amore oriatur, & hic erit legitimis mediis suppressendus, & major rationique conuenientior ex studiis oriunda voluptas frequenter consideranda. Quod si vel auaritia, vel superbia obstat diligentiae, propositionibus quae disuadere solent vitia haecce mouentibus, pigritiae obuiam procedas oportet.

Numquam vnicam rei perceptionem existe-



existere solam, sed plures simul esse so-
lere inter se connexas, fatis testatur ex-
perientia, quarum dum vnā represen-
tat sibi mens nostra clarius atque viuidius,
ad illam attendere dicitur. Eruditi quum
sit rerum formare sibi notiones distinctas,
mentisque humanae sit proprium, suc-
cessiue in colendis progredi litteris, (vt
libelli capite jam dixi) facile patet, notio-
nes sibi formaturo distinctas, ac littera-
rum studioso, nihil magis esse necessa-
rium, quam attentionem, quae itaque est
virtus primaria; promouens studia. Ob
eamdem mentis limitationem, dum om-
nes rei repraesentatae perceptiones clario-
res reddere, vel integram rem distincte
cognoscere desideramus, ab vna ad alte-
ram perceptionem promouere attenti-
onem cogimur, ac tunc reflectere dicimur.
Reflexione itaque, quae attentione per
partes objecti repraesentatas continuata
absoluitur, opus esse plurium rerum ac-
quisituro cognitionem philosophicam, ne-
mo dubitat.

Quum litterarum studioso inhaeren-
dum sit, rei cognoscendae, donec quot-
quot distingui in illa possunt, notas distin-
ctas effecerit sibi, eo vsque erit conti-
nuanda attentio. Quo itaque diutius sine



alius perceptionis successione, vnam eandemque perceptionem cum debita claritate contemplari, valet aliquis, eo maiori pollet attendendi facultate. Sed hominum mens semper ad mutandas perceptiones fertur, vnde nemo hominum summum adsequetur attentionis gradum. Interim ad tantum adspiremus oportet, quantum assequi possumus. Facultas autem vel generalior quaedam dispositio quum cuiilibet insit hominum, non sufficiet, nisi habitus excitetur; qui quum non nisi crebriori acquiratur exercitio, maximi erunt facienda litterarum studioso, quaecunque acuunt attentionem.

Plura dum percipimus, libet ad nullum eorum dirigamus attentionem, vel dum omnia simul eodem claritatis gradu repraesentamus, distrahitur mens, quo itaque impeditur attentio. Quo ergo rite possis attendere, caue ne nimis rebus distraharis, quas vel aeque clare, ac rem cognoscendam percipis, vel clarius. Vnde dum attendere cupis ad rem quampiam, vel vites semper oportet ea, quae alias excitare possunt perceptiones, vel quum rarius fieri id possit, assuescias mentem, quo minus alienis perturbetur perceptionibus. Actus autem mentis, quo plura
simul



simul quidem percipit, quorum tamen quaedam distincte non repraesentat, abstractio vocatur, vnde abstrahendi inprimis opus est, artifice attendere cupienti.

Sensus atque imaginatio quum novas in mente producant, repraesentationes rerum vel praesentium vel absentium, adeoque mentem inter attendendum possint distrahere, dum prius eligimus remedium omnia vitanda sunt, quae sensationem aliquam fortiorem excitant, vel incendunt imaginationem. *) Atque quum affectus non oriantur, nisi ex sensatione et imaginatione nimis excitatis, neque affectibus erit indulgendum, si attendere cupimus ad rem aliquam. Ex quo inprimis de loco atque tempore, quo meditari & attendere optime possumus, regulae consequuntur. Locus enim eligendus erit, a turbis & objectis, sensus modo Fortiori afficientibus, remotior; vnde musaee a plateis remota sunt praeferenda, & loca, quibus obiectorum novitate allecari sensus, vel sonorum suavitate demulceri aures, vel rerum pulchritudine attrahi oculi vel reliqui sensus modo iucundiori possunt affici, maxime

B 3

erunt

*) Senties ipse suo tempore, quae sint.



erunt vitanda. *) Omnia haecce suo tempore ad animum a laboribus arduis fessum recreandum magno vsui esse, vltro hoc patet.

Tempus maxime commodum studiis erit, vel nox intempesta, qua tranquilla solent esse cuncta, vt sensus haud facile possint perturbari, vel tempus mutinum, quo nondum aliorum turbaris conuentibus, qui somno opprimuntur profundiori. Quum interim ii, qui nondum abstrahendo sunt adsueti, plerumque tempore vespertino distrahantur, adhuc variis cogitationibus rerum, quibus per integrum occupati fuerunt diem, atque imaginatio multitudine obiectorum atque negotiorum mole distracta somno sedari soleat, ac quiete, nec minus laboribus diurnis corporis exhauriantur vires, quod & mentis vires in operationibus impedit suis, quae recreantur quiete, facile patet, tempus matutinum **) praefendum esse nocti intempestae, Auroramque esse Musis amicam.

Omne

*) Caue vero existimes, me amare eremitarum instar solitudinem! — Eheu! eheu homuncio! qui semper semperque meditari & vbiunque zu empfinden studet!!!

**) Num vero hora octaua matutina nonae & sic porro sit praefenda, vt alii, docent? — vix credo.



Omne interim tempus quum legitime applicare teneatur litterarum studiosus nec solae horae matutinae vel vespertinae sufficiant homini in litteras incumbenti, neque a nostro semper pendeat arbitrio, quo loco attendere velimus, minime remedia haecce omni casu sufficere, cui libet satis patebit. Vnde tutissimum erit, vt alterum eligas remedium, vt crebriori exercitio adsuescas abstrahere mentem ab alienis, ac ita eam in recognoscenda defigere, vt huius perceptio omnes, quaecunque aliae sensibus excitantur vel imaginatione obfuscet. Quod obtinebis dum saepius inter varios strepitus meditari omnique cura defigere in re consideranda, mentem tentaueris & initio in primis in rebus menti tuae iucundioribus, praesertim iis, quae arctissimo cohaerent nexu, atque sensus etiam quodammodo occupant, quo pertinet librorum lectio, scriptio, atque figurarum contemplatio. Sed quum Mathematicae disciplinae, & inprimis Algebra, huius sit indolis, quippe quae rerum nexu iucunditate atque certitudine summa delectant mentem, & signis pleraque repraesentant in sensus incurrentibus, facile videbis, Mathematices studium apprimè esse conueniens iis, qui

B 4

acqui-



acquirere sibi attendendi habitum cupiunt. Ad aperiendam ad hoc viam non parum prodest Insectorum Plantarumque inter strepitus inspectio, inuestigatio atque determinatio.

Mens affectibus turbata continuo vel saltem creberrime, vel plane fit inepta attendendo ad rem aliquam, vel saltem saepius interrumpitur, ac impeditur, quo minus tantum adsequatur claritatis gradum, quantum obtinere posset. Mens autem vocatur aequa atque tranquilla, si eundem semper seruat statum ordinarium animique vitat commotiones nimis vehementes; quam itaque sequi debere litterarum studiosum, ex antecedentibus patet. Hominis autem virtus, quae affectus haud necessarios valet suppressere, ac tempore illegitimo cauere ab iis, tribuit ipsi in affectus imperium; quod itaque comparatur, & cognitione accurata illius qui maxime in mente dominatur, affectus, & impediendo, quo minus obiecta, quae excitare solent, nimis vehementer vel inopinato feriant sensus, & comparatione distinctarum, boni malique notionum.

Quum nullum tempus perdere teneatur litterarum studiosus legitime non
om-



omnis quidem interdicitur mentis *) re-
 creatio & corporis, quippe conseruandis
 corporis viribus inseruit, **) ita autem
 fieri debet recreatio ipsa, vt rebus vtamur
 maxime promouentibus studia. Vnde
 ita est instituenda, vt inter ambulandum,
 vel laborandum corpore vel manibus sem-
 per ad rerum, circa quas laboramus, vel
 quas ab aliis vel a natura effectas obserua-
 mus causas attendamus, vel mente reco-
 lamus faciliora atque iucundiora, quae le-
 gimus, meditati sumus, vel audiuius,
 vel attendendo ad aliorum, cum quibus
 conuersamur iudicia, dignoscamus falsa
 a veris, & nostram augeamus iudicandi
 facultatem exemplis & cognitionem iu-
 diciis aliorum atque praeceptis amplifi-
 cemus.

Neque cum aliis conuersatio inter-
 dici penitus debet litterarum studioso,
 quod ad recreationes quoque mentis hu-
 manae pertinere videtur. Sed quum in-
 doles hominum sit diuersa, quorum qui-
 dam

B 5

*) Sic poemata historiasque fictas legere, spe-
 ctatum ludos ire, symphonias agere artes,
 pingere vel figuras delineare &c.

**) Vt ducere Choreas, vel suauius carmina
 gesticulari, luctando certare, pila ludere, vel,
 quod litterarum studiosis suadere nimis su-
 peruacuum est, equitare, vel palaestrare.
 &c. — —



dam bonos amant atque sequuntur mores, & hinc quandoque legitime in discendis litteris profecerunt; alii autem malis sunt moribus, nec amant nisi otium & cum hoc coniuncta foedissima vitia, quae animum litteris ex cultum haudquaquam decent, nihil est certius, quam admodum vtile esse litterarum studio, vt delectum inst tuat aptum sociorum. Quum enim cuncta sint adhibenda subsidia; quibus promouentur studia, ac aliorum litterarum peritorum ac bene moratorum colloquiis disci plura possunt, quaerere ista, & eiusmodi hominum ambire consuetudinem tenetur studiosus litterarum. Sed quum malorum hominum societas & tempus perdat, & a pietate ad impietatem abducat hominem, & deligentiam impediatur, vitanda sunt hominum malorum consortia; quod & non potest non facere vere litterum studiosus, quippe cui taedio sunt cuncta, quae perpetratur impudenter homo piger et negligens in studiis.

DE LEGITIMO VSV
INSTITUTIONIS ALIORVM.

Quum & inuenire denuo veritates non sit cuiuslibet hominis, quippe quod maiorem requirit intellectus gradum, & si



omnia quae discuntur, inueniri a quoque deberent, semper circa prima versaremur elementa eruditionis, labor praeterea esset inanis quem in denuo inueniendis veritatibus, dudum ab aliis inuentis infumere-
mus; recte uti iis, quae ab aliis sunt inuenta, non decet solum litterarum studio-
sam, sedet maxime incumbit ipsi. Dum vero alii ea, quae cognoscunt, communi-
cant nobiscum, docemur ab iis, quod vel fit, dum ipsi explicant nobis verbis, quae pronunciant doctrinas, quod institutionem stricte sic dictam constituit, vel signis verborum, hoc est litteris & scriptura, ex quo oriuntur libri, hinc & aliorum institutione uti, & libros legere aliorum, tenetur quisque litterarum studiosus.

Regulae hic obseruandae veniunt sequentes:

- I. omni, qua de rebus vtilibus institui poteris, occasione utere diligenter, quum tantum discere tenearis, quantum potes; — (vt supra —)
- II. ad institutionem venias mente bene composita ac tranquilla, ac ne ab alienis distraharis caue;
- III. Nullam lectionum facias intercapedinem, sed continuo vnaque serie pergas in discendo, quum longiori tem-
pore



pore obscurentur ea, quae didicimus; hinc imprimis nullam negligas institutionis horam, ne nexu turbaris (conf. supra)

IV. ne negligas occasionem, qua doctiori atque institutionis peritiori vti potes doctore, raro enim redit occasio. *)

V. Regulis in discendo vtere, quas docendo tibi ostendit doctor peritus atque acutus, vnde attendas diligenter velim, quo ordine doceat, quae ratione soleat demonstrare ea, quae tradit.

Ad tria redire praecipue cuncta, quae obseruanda sunt ex dictis, facile patebit, ad legitimam praeparationem, attentam auditionem & crebriorem repetitionem. Praeparationem vocamus mentis compositionem ad facilius evidentiusque comprehendendum ea, quae docebuntur, vnde cuncta quae cognitionis acquisitionem distinctae faciliorem reddunt, iure meritoque eo referuntur. Legitime ergo se praeparaturus:

I. vitet ante institutionem cuncta, quae turbare mentem & affectibus distrahere possunt;

II.

*) In priuata cum Peritis conuersatione plus didici, quam publicis horis.



- II. affuefaciat mentem attentioni, legendo & meditando;
- III. attente legat ea, quae explicabuntur ac meditetur de iis. Quod ut felicius fiat:
- a) attendat ad ea, quae absque institutione intelligere iam potest, ac ita de iis meditetur, ut plures iam ex iis deducere veritates det operam;
 - b) quae difficilia atque obscura videntur, solícite notet, ut eo melius possit ad illa attendere inter institutionem ipsam.
- IV. nec molestum sit denique plura non nisi post labores multos variamque difficultatem intellexisse, quum quae multo sunt acquisita labore, firmiter menti soleant inhaerere.

Auditio non minorem requirit solertiam, quam praeparatio; quippe quae tum demum fit legitime,

- I. si cuncta tecum attuleris subsidia nec libris ad percipienda omnia necessariis destitueris.
- II. si mentem ex distractionibus collegeris, ac omnibus remotis impedimentis ad illa sola, quae traduntur, sis attentus;
- III. Ad ea praecipue intendas omnes mentis

tis



tis ingeniique nervos, quae vel grauiora esse dicuntur, vel difficiliora esse, a te ipso intelliguntur.

IV. Nec minus ea praesertim notes, quae falso inter praeparandum te intellexisse senties, ac inprimis ad erroris attendas fontem, quo eo facilius in posterum deuitetur similis error.

V. Atque quum melius imprimantur menti, quae plures occupant sensus, ne audias tantum velim, sed & quae difficiliora videntur, calamo excipias, quo facilius reddetur auditorum repetitio & ordini in cogitando, qui a docente obseruatur, melius assuesces.

VI. Nec reliqua negligas subsidia, quae iuuare possunt memoriam & distinctionem.

Sed quum nihil ad discendum feliciusque retinendum audita, sit vtilius, quam crebrius mente recolere cuncta, quae audiimus, nihil magis erit necessarium quam Repetitio. Qua neglecta parum vel nihil proficere te in studiis ipse senties. Qua obseruata vno die plus disces, quam sine hac, integro anno. Quae tamen vt rite fiat:

I. Legem tibi figas, ne alienis occupationibus impendas diem, qui studiis
facere



- facere esse debet, atque distribuas rite diei cuiuslibet horas, quae sint ad praeparandum, quae ad audiendum, quae ad repetendum destinatae;
- II. accurate perlegas ista, quae sunt explicata, ac quae tibi inter audiendum annotasti;
- III. mediteris tam diu, donec quae dicta sunt intelligas cuncta, atque facilia tibi videntur, quae difficilima fuerunt antea,
- IV. Legendo libros aliorum residuis adhuc satisfacere dubiis labores, vel id si facere non potes, notes sollicite ea, quae tum ab aliis oretenus possunt dissolui;
- V. difficilia saepius, ac vario tempore repetas ne memoria excidant iterum, vel tempore denuo obscura fiant.
- VI. quod si tibi licet, cum alio iungi diligenti atque assiduo homine, multum iuuabit, dum te cum ipso exercebis, repentendo audita, disputando modeste, *) interrogando ac respondendo, quod melius imprimatur memoriae, & distinctius euadit, quod ipsi propriis

*) *Modeste* — sanctissimi huius verbi sensus nullo quidem tempore ex nostro iuuenili animo, litterarum notitia saepe inflato, debet effluere.



propriis verbis exprimere allaboramus.

VII. Cubitum eas numquam, antequam rite te exploraueris, quid sit, quod die praeterlapso didiceris, perditumque credas illum diem, & cuius te vnquam poenitebit quo nihil didicisse meministi.

Hisce alia addere poteris adiumenta, memoriam in retinendis auditis subleuantia, quo pertinet:

I. vt occasione vtaris omni, qua docentis frui poteris colloquiis, quibus audita melius explicari, menti inculcari, atque dubia, quae occupant mentem, solui curabis;

II. vt numquam meditando acquiescas, donec rite intellexeris cuncta, facilius enim retinentur memoria, quae notiones habent sibi subiectas, quam quae omni defituuntur sensu.

III. saepius nexum, totumque artis scientiaeque, quam tractas, ambitum ante oculos tibi ponas: quae enim nexu discuntur, distinctius perspiciuntur, ac melius cognoscuntur.

IV. Cuncta ita, quasi in succum & sanguinem conuertas, vt quae didicisti, quotidie experientia confirmare & in
omni-



omnibus negotiis vitae humanae applicare des operam

DE LIBRIS

VTILITER LEGENDIS.

Libri sunt scripta, quibus alii absentes nobis cogitata sua communicant, atque varii sunt generis, pro varietate cogitatorum, quae continent, & pro Methodo varia, qua sunt conscripti. Quum itaque aliorum cognitione, ad nostram augendam, vti possimus & debeamus, (vt iam priori sectione dictum est) libros legere solícite tenetur verus litterarum studiosus. Sed dantur boni & mali libri, quorum illi legendi, hi fugiendi; & ipsa lectio varia ratione institui potest, quo fit vel vtilior vel minus vtilis augendae cognitioni. Vnde quum viam breuissimam sequi teneatur quisque, in cognitione augenda, regulas quasdam hac de re praescribendas obseruet, oportet.

Omnes autem regulae, redeunt A) ad discrimen bonum obseruandum inter libros legendos B) ad legitimam lectionem ipsam & C) ad lectorum vsum legitimum.

In electione librorum videndum est, quaenam librorum genera cuiuslibet sint legenda, & qui ex quolibet genere; vnde:

C

I. Eos



I. Eos libros legere tantum decet, qui continent vtilia, i. e. ea quae ad discenda spectant, vel ad methodum discendi facilitandam; quum reliqui mentem magis avertant a studiis, quam iis imbuant, quod experientia edoctus quilibet librorum inutilium assiduus lector nouerit. Nihil autem ad hunc finem faciunt

a) fictae narrationes & fabulosae historiae, quae itaque ex librorum vtiliter legendorum numero sunt proscribendae; *)

b) libri erroribus pleni, quod iis confutandis, mens argumentis nondum satis instructa, atque habitu demonstrandi iudicandique nondum firmata impar est, quod falsis principiis & praeiudiciis haud facile extirpandis imbuunt animum.

II. Ea librorum legas genera, quae ad scientias spectant, quas discere optas, quum magis necessaria & vtilia semper minus necessariis & vtilibus sint anteponenda.

III. Eos

*) Licet non sit de melioribus atque probatis intelligendum, quae ad recreationem animi sint legendae.



III. Eos inprimis legas libros quolibet tempore, qui cum iis, in quibus discendis, tunc temporis versaris, proxime cohaerent, quum & melius eo tempore intelligantur & cum fine tuo proxime conueniant.

IV. Ea legas inprimis, quae non nisi ex libris aliorum hauriri possunt, qualia sunt linguarum institutiones & regulae, nec non libri historica continentes.

Inter libros dantur aliqui, ad perlegendum vna serie non destinati, & alii, qui vtiliter a capite ad calcem perleguntur. Prioribus sunt accensendi libri isti, qui compilationes vel verborum vel rerum continent, & quasi aliorum librorum sunt indices, quidam enim eorum, licet a longius progressis, vtiliter legantur; studiosi tamen litterarum iis ita tantum vti debent, vt si aliqua vocis vel rei alicuius indigent explicatione ad illos refugiant, licet ab initio ad finem non perlegant eos; ex reliquis ii sunt eligendi, qui bonorum librorum habent notas, quae absoluuntur bono ordine, perspicuitate, stylo compto atque concinno, soliditate & completa ratione.

Ordo aptus absoluitur, dispositione veritatum propositarum, fini earum conueni-



uenienti, quod vt rite diiudicare possis, attendas ante omnia regulam ordinis, quam auctor sibi praescripfit, colligere eandem facile poteris ex fine libri, praefatione, inscriptione, vel ipsius operis diuisione. Quam si inueneris, cogites aptum ordinem accommodatum esse debere, & memoriae iuuandae, & perspicuitati promouendae, vnde inter plures regulas ordinis, a scriptoribus diuersis obseruatas, facile iudicabis, quae magis huic fini inseruiant obtinendo. Tum ex breuiori libri perlustratione, vel ex totius operis conspectu libro praemisso iudices, vtrum regula praescripta per integrum librum sit obseruata, an minus. Quum enim omnia, quae memoriam subleuant, adhibenda sint subsidia, librum, qui ordinem habet, huic accommodatissimum, praeferas reliquis, qui idem argumentum tractant, & inter plures eandem regulam sequentes, illum qui regulae insistit accuratius ac constantius.

Quum libri eo fine legantur; vt intelligantur, ac quae facilius intelliguntur, viam nobis reddant faciliorem ac breuiorem, finem nostrum assequendi, vides librum maiori perspicuitate praestantem, reliquis esse praefendum, quod & ex ordi-



ordine commodo iudicabis, in illo ob-
servato, & ex ipsa inter legendum expe-
rientia, qua tamen difficultates, a re ipsa
pendentes, quae tibi nondum est satis fa-
miliaris, cum obscuritate libri nolim con-
fundas. Quum & in perspicuitate libri
plura a stylo pendeant, hic imprimis
attendas, sitne stylus, quem deprehendis
in libro, vocibus obscuratus, & constru-
ctionibus antiquis, novis & minus vsta-
tis, & vitiosis iusto diffusior vel abruptior,
ac sintne voces recte coniunctae & diui-
sae, quod te linguae, qua est conscrip-
tus, cuiusque satis sis peritus oportet,
sufficiens notitia docebit.

Stylus praeterea comtus & concin-
nus ornat librum, qui praeter iam indi-
catam vocum perspicuitatem requirit vo-
ces atque constructiones minime barbaras,
ac meliorum scriptorum vsui non contra-
rias, nec non nexum vocum ad eleganti-
am compositum, quod & ex crebriori
eorum scriptorum, qui sibi styli elegantia
famam pepererunt lectione, & ex linguae
exacta peritia, & ex eorum, qui de stylo
iudicare valent, iudiciis disces. Inter
plures itaque libros idem argumentum,
eodem modo tractantes, reliquis praefe-



ras illum, qui stylo conscriptus est elegantissimo.

Soliditas libri est illa eius indoles, qua omnia legitimis rationibus cuilibet argumento convenientibus sunt suffulta, cui superficialia tractandi ratio opponitur, qua vel nullis utitur scriptor ad probanda proposita argumentis, vel minus aptis, saltim non optimis. Quam itaque libri esse virtutem minime negligendam satis patet, quod ex superficiali scripto libro non nisi superficialia hauritur cognitio, quae omnium minime decet erudito. De quo autem ut legitime iudicare possis, noueris oportet, qualia in quolibet genere disciplinarum adhibenda sint argumenta, ac deinde attendas, sintne eadem in libris diiudicandis adhibita, & quidem perpetuo, legitimisque locis, ac sintne omni suo proposita robore. Quoad ipse hac de re iudicare non poteris, quod iam maiorem illud requirit cognitionis gradum, aliorum sequaris oportet virorum laudatorum iudicia, qui vel in scriptis, vel praesentes de iis iudicium tulerunt.

Completum etiam librum, seu eum, qui cuncta ad finem propositum spectantia continet, praefendum esse aliis minus completis, satis ex finis mediorem-
que



que indole patet. Cuncta itaque hic ad finem vtrumque conferas, vt perspicias, conueniatne an minus. Quod si minus inueneris, librum in se quidem completum esse, ne iudices, interim pro fine, ad quem ipse tendis, incompletus iudicari potest. Quod si conueniat finis vterque, satisne sit in integro opere factum, attendas, quod ita optime explorare poteris, si perfecta parte reliqua, inuenies omnia, quae ad rem tibi distinctius explicandam faciunt, ac si diligenter notaueris ea, quae tibi scitu fuerunt necessaria, quaeque apud alios frustra quaesiuisti, atque haec imprimis exquiras in illo.

Liber itaque, quem optimo fructu legere poteris, erit ordine instructus apertissimo, perspicue scriptus atque comite ac concinne, soliditate se commendans, & completus. Quum interim non omnes exhauriuntur in libro, quae de argumento quodam dici possent, sufficiet, quum ea, quae continet, solide sunt proposita. Melius enim est, vt partem discendorum, solide discas, quam vt omnia, quae dici & proferri possent, superficialiter teneas tantum.

In toto hoc negotio iuuabit te plurimum:



- I. notitia aliqua de viris clarissimis, qui in qualibet scientia et arte, sibi famam pepererunt; quia ex auctore opera legitime diiudicantur.
- II. Bibliognosia, seu historia librorum omni tempore editorum ac scriptorum, quippe qui inter libros eligere non potes, quoad ignoras, qui in quolibet genere existant, libri praestantissimi, quo simul id obtinebis, vt editiones tibi notae fiant correctissimae; id quod ad perspicuitatem multum facit, quum typographorum mendae saepius admodum obscurent sensum. Vtrumque hoc quum ex historia litteraria sit discendum, vides admodum vtilem esse eandem litterarum vere studioso.
- III. librorum lectio & diariorum litterariorum, in quibus de libris olim editis, & denuo prodeuntibus iudicia feruntur, dummodo persuasus sis, auctores rerum harum aptos esse iudices.
- IV. Cum eruditis & litterarum harum peritis diligens conversatio ex quorum iudiciis libri tibi fient noti optimi, & ipse, quomodo de libris sit iudicandum, disces.

V. Bi-



V. Bibliothecarum praestantium, imprimis publicarum frequentatio, in quibus & libros ipsos inspicere potes, & copiam nancisci librorum maiorum & cariorum legendorum.

In ipso legendi modo praecipue ordinem spectes in libris legendis, & quidem:

- I. si plures libri legendi sunt, ad idem argumentum spectantes, eundem observes ordinem, qui est in docendo & scribendo obseruandus, vt eos, qui natura priora continent, prius, qui posteriora s. principiata, serius legas, quod facilius sequentia intelliguntur, principiis legitime intellectis;
- II. progrediaris a facilioribus ad difficiliora intellectu, quod illa viam pandunt, his recte intelligendis, & profectuum sensu perpetuo, ardor legendi magis excitatur.
- III. Ordinem sequaris in legendo eundem, quem auctor obseruauit, quod maioris perspicuitatis causa veritates ipse ita disposuit, quum ordinario sequentium illustrationes ex praecedentibus sint petendae.

In ipso lectione quaedam obseruanda sunt, mentem praeparantia ad lectionem,



nem, alia lectionem comitantia. Quae praeparationi inferuiunt, eo redeunt:

- I. vt tibi externa libri reddas cognita, nimirum auctorem, eiusque vitae rationem, tempus & locum, quo liber conscriptus, occasionem finemque, quo compositus fuerit, quae ex historia litteraria & ex praefatione libri discas, quam itaque merito in legendo non negliges. Melius enim ita de libri indole iudicare poteris, & interpretando eo eris felicior;
- II. integram libri dispositionem tibi reddas cognitam, quo semper filum cogitationum auctoris sequi eo melius possis;
- III. notiones auctoris tibi reddas familiares, quo minus tuas notiones substituas auctori, atque sensum ita perturbes, atque si melius ex alio eiusdem auctoris libro hauriri illae possunt, consulas eundem, ac prius illum legas;
- IV. mentem praeconceptis opinionibus libera, quibus non nisi hypothesei cui-dam confirmandae studes, vel auctoris odio vel amore ductus cuncta ad mentis hanc dispositionem conformes, mentem potius non nisi veritatis cupidam afferas ad legendum librum.

Inter



Inter legendum obseruanda veniunt, quae ipsam lectionem & quae interpretationem spectant; ad priora pertinet:

- I. vt tempus locumque eligas ad legendum, mentem assuefacias continuae attentioni & a rebus alienis abstractioni;
- II. vna serie fieri dum potest, perlegas librum, i. e. aliorum librorum lectione ne intercipias libri incepti lectionem, quo minus distrahatur ac confundatur animus;
- III. quum imprimis vt discas sit legendum, memoriae omni modo erit consulendum, ac omnia subsidia eiusdem adhibenda, quo pertinet:
 1. ne nimis festinanter legas, quippe quum maturius considerata melius inhaereant memoriae, quam quae impressionem in sensibus fecerunt leuissimam;
 2. ne relinquantur veritates lectae nisi legitime & sufficienter intellectae;
 3. nexum in quo veritates proponuntur semper ob oculos ponas tibi; atque veritates non nisi cum rationibus suis menti fistas;
 4. interdum repetas breuibus in mente, quae antea legisti, ac integro perle-



perlecto libro colligas ea, quae didicisti ex eodem notatu dignissima;

5. notes quoque signis appictis, lineolis subductis vel aliis indiciis, quae tibi notatu dignissima visa, quo sint notulae istae memoriae adiumento, & interdum relegere eadem possis;
6. Licet nimia festinatio in legendo magis sit noxia, quam proficua; nolim tamen nimis lente procedas in legendo, quum & multo tempore pauca absolvas & assuefias tarditati in cogitando;
7. diutius itaque inhaereas difficultatibus celerius progrediaris in facillioribus, sed in prioribus non diutius, quam donec cuncta rite percepisti ac intellexisti.

Quum imprimis iuuet, omnia cum iudicio legere, ac vera a falsis distinguere, quippe in quo consistit omnis in lectione finis:

- I. Caueas, ne mente praecipias ante lectionem, non continere posse librum nisi vera, & si plura inuenies bona, ne statim concludas, immisceri interdum non posse falsa;

II. fis



- II. sis attentus ad cuiuslibet propositionis indolem, ac si dubium aliquod tibi videbitur, ne desistas a meditando, donec certus sis, sitne verum an falsum;
- III. quem in finem attendas imprimis ad probationes additas, quae dum sunt legitimae, & omni exceptione maiores, nulla eius veritati obstabant dubia;
- IV. ob falsam detectam assertionem, ne reiicias statim integrum librum, sed secerne falsa a veris, vtere his, fuge illa;
- V. exploras diligenter sit ne propositio, quam inuenisti, falsa, principium aliquod, ex quo forte tanquam ex fonte plures errorum riuuli deriuentur, ac eo cautior sis in omnibus quae hinc deriuantur;
- VI. causam investiges sollicite, qua in errorem hunc seductus sit scriptor, quo vitata causa, ipsum vitare possis malum;
- VII. inter veritates imprimis attendas ad illas, quae tibi nunquam antea audita, vel nouae videntur, ac in iis explorandis sis eo diligentior & circumspectior.

Interpretatur aliquis librum, vel propositiones eiusdem, quum verum earum sensum



fenfum eruit, seu notiones illas, quas auctor libri verbis subiecit, quod permultis locis absque insigni labore fieri potest, quum verba satis sint clara, vt nulla indigeant interpretatione, aliis autem difficilioribus & inprimis ambiguis maiori opus est solertia. Quum itaque ideo legendum sit, vt intelligatur, interpretationem minime negligere poteris; inprimis si propositio explicanda alicuius est momenti, ac ad intelligendareliqua multum facit, vnde:

- I. ante omnia regulas interpretandi dicas & institutione & ipso vsu;
- II. ne dubia atque ambigua reddas, loca in se satis clara, ob tuas opiniones hinc confirmandas;
- III. ab omni odio atque amore sis alienus, atque id solum quaeras, quod verba continent, non quod tuis fauet pro-
pensionibus, vnde nec veram nec falsam optes positionem interpretandam;
- IV. ne facile atque sine necessitate a notionibus auctoris, quas ipse expressit verbisque subiecit, recedas, sed ex iisdem diiudices sensum.
- V. ne fingas sensum, integro vocum nexui contrarium, sed contextu vtere legitime ad sensum eruendum

VI. in-



VI. in primis odiosam caue interpretationem, nisi omnia adsint argumenta eandem confirmantia.

In primis si obuia tibi sunt inter legendum, quae suspicionem tibi mouent erroris, vel assertionis cuiusdam odiosae, vel quae aliis auctoris locis videntur contradicere cautus sis, ne nimis praecipitanter iudicando iniuriam inferas scriptori, vnde:

- I. maxime hic sis sollicitus, de vero verborum sensu, vocumque singularum significato;
- II. Connexionem cum reliquis inspicias, possitne hinc aliquid inuestigari ad mitigandam sententiam auctoris;
- III. bene attendas ad restrictiones additas, quae saepius mitigant non minus ea, quae in se spectata duriora videntur, atque conciliant, quae minus restricta sibi inuicem contradicerent;
- IV. quae si minus sufficiunt, notiones attendas scriptoris, vtram in iis forte aliquid inconsueti, vel inconstantia quaedam deprehendatur. Excusatius enim peccat ille, qui in notionibus a communi vsu recedit, quam qui aperte absurda, vel pugnancia secum statuit;

V. nec

- V. nec negligas subsidium illud, vt inquiras, vtrum forte typographorum incuria factum sit, vt contradicere sibi videatur scriptor, quod facile reliquorum nexus docebit.
- VI. Omnibus his nihil proficientibus subsidiis, peccasse quidem arbitreris auctorem, sed caueas, ne ob vnicum errorem, integrum objicias atque repudies librum; ita potius vtaris errore, vt & inter contradicentia exquiras, quid sit verum, quidue sit falsum, & fonte erroris legitime detecto, ipse tibi ab erroribus caueas.

Superfunt regulae de lectorum vsu legitimo, quae haec complectantur circiter:

- I. Lectis legitime atque relectis saepius notatu dignissimis, ea mente repetas crebrius, quae legisti, & imprimis quum diei labores absoluisi, quae per integrum diem legisti, mente breuibus lustras, quod ea, quae quiete arctius quasi coppulantur cum mente, facilius retinentur memoria.
 - II. Quae vsu atque applicatione melius possunt explorari & confirmari ad vsum deducere labores legitime, atque ita applica, vt & veritatem eorum experiaris magis & plura commoda ex ipsa discas applicatione.
- III.



III. In propria meditatione vtaris lectis ita vt principia inde repetas, in propriis argumentis corroborandi gratia adhibenda.

IV. In primis, quae circa Methodum, in probando atque tractando argumento placuerunt tibi, imitari propriis in meditationibus, sollicite des operam; quum methodus apta, anima sit meditationum, nec facilius, quam librorum methodice scriptorum legitima lectione addiscatur.

Vt eo melius memineris lecti commendari ordinarie solet ars excerpenti, seu sub certis titulis colligendi cuncta, quae vsui olim nobis esse possunt, vel quae notatu nobis videntur digniora; vnde

I. Volumina tibi compingas vel chartae maiorem molem sumas, in qua quicquid inter legendum tibi praecipue memorabile videtur, colligas;

II. quod vt commodius fiat, vel plura facias volumina, quae pluribus artibus scientiisque destinare potes, vel vnicum, in quo conferas cuncta certo ordine;

III. si prius placuerit, pro optima ratione diuidendi scientiam, librum tuum ipsum in Capita diuidas, in quo &

D

Compen-



- compendium aliquod artis vel scientiae sequi potes;
- IV. si posterius placuerit, vel cuncta promiscue, & sine ordine inferre potes; quo casu summopere est necessarium, vt tibi indicem voluminis eiusmodi conficias, vel pro Alphabeti ordine diuidas librum, atque cuncta, quae sunt inferenda, sub certos digeras titulos, qui Alphabetico ordine se inuicem excipiunt;
- V. Quae legis, hisce inferas vel ita, vt integra auctorum loca describas, quod imprimis necessarium erit, si liber est rarissimus vel carissimus, quem non semper ad manus habere potes; vel cites tantum librorum paginas, quibus inuenienda sint quaedam, ad rem istam pertinentia.
- VI. Potes etiam, quo minus inter legendum nimis impediaris, duplicem habere librum: aduersariorum, in quae cuncta, quae legis vel meditaris, sine ordine reiicis, & excerptorum, in quibus collecta secundum ordinem aliquam digeras.
- VII. Collectionem eiusmodi ne incipias, nisi iam aliquantum instructus de arte vel scientia quadam, ne nimis vulga-



vulgaria & in quolibet artis compendio occurrentia inferas libro, quippe quod & vtilitate careret, & immensum requireret laborem.

VIII. Vtere ita excerptis tuis, ut post lectionem ex iis breuibus repetas, quae legisti, & si illustrationes desideras in re aliqua, statim scias, quibus in libris sint inueniendae, & si ipse scribere aliquid velles, vel meditari ex aliorum libris, materies tibi suppetat statim.

DE RELIQUIS

LITTERARVM STUDIOSI

OCCVPATIONIBVS VTILIBVS.

Quum nec legere semper, nec institutionibus ordinariis interesse possit discens, sed humana vita crebriores requirat mutationes, quae pertinent ad vitam recte transigendam in Republica, apparet, plura esse agenda litterarum studioso. Nec enim homines alios humanamque societatem fugere, & inter mortuos versari licet erudito, quum aliis quoque inferuire oportet, sine quorum auxilio, ipse viuere non potest. Ne autem a fine principe abstrahatur, opus est, vt ita dirigantur reliquae occupationes omnes, quo minus impediatur ille, qui



potius iis summopere est promouendus;
quod ut fiat:

- I. Cuncta, quae agis, ita agas, ut novi aliquid discere, saltem iam cognita confirmare inde possis.
- II. Nihil agas, nihilque tibi sit obuium, cuius causas cognoscere, quantum fieri potest, operam non dares.
- III. Inter plures externas occupationes, quarum eligere licet vnam, semper eligas illam, quae cognitioni amplificandae inferuire potest maxime.
- IV. Cunctas fugias actiones, quae turbare mentem, ferociorem te reddere & discendo ineptum possunt.

Conuersatio cum aliis est crebrior vsus conuentuum & colloquiorum cum aliis hominibus: Quum aliorum auxilio carere possit nemo, qui in Republica viuit, quippe quum nemo cuncta sibi comparare queat, quae sunt necessaria ad vitam transigendam, nec minus aliorum hominum societas sit finis, cur plures produxerit, & cur naturalibus vinculis copulauerit eos generis humani conditor, conuersatione cum aliis nemo carebit legitime. Quae autem duplicis erit indolis, necessaria nimirum, qua ob vitae nostrae rationes carere non possumus, & libera, sine qua viuere quidem



dem possemus, quam autem libero sequimur voluntatis amorisque instinctu. Hinc & vel utilis, vel noxia quatenus inde in nos redundare possunt plura comoda vel nulla vel incommoda plura.

Quum sapiens in omnibus, quae sectatur sine fine agere non possit, & multo magis fini contraria fugere teneatur omnia; indubium est, multum illum abesse a veri litterarum studiosi indole, qui delectatur consortiis hominum minus utilibus vel noxiis. Sunt autem omnes conversationes minus utiles simul noxiae, quod tempus teritur inutilibus, quod negotiis grauioribus sacrum esse deberet. Interim a noxiis distinguuntur eo: quod hae etiam ad atrociora, eaque minus toleranda scelera seducant, atque periculosisimis illecebris demulceant sensus, quos mens parum exulta sequi iam sine incitamenti externis auet. Necessariae interim, licet plerumque ad augendam cognitionem, conferant parum, eo tamen utiles vocari possunt, quod ad vitam externam pertinent necessario atque fini hominis, quatenus ciuis est, & societati humanae & Reipublicae conueniunt.

Fieri interim & illae possunt utiles litterarum studiose, si cuncta dirigit eo,



vt proficiat ex iis cognitio. Id quod obtinebitur optime:

- I. si, quantum fieri potest, caues, quominus maximam optimamque temporis partem eiusmodi consortiis impendas, sed illud tantum tempus, quo a rebus grauioribus animum refacillas quasi;
 - II. quantum fieri potest, a consortiis hominum sceleratorum, & a conuersationibus mentem distrahentibus & affectibus abstrahas;
 - III. si ob vitae rationes non possunt vitari consortia sceleratorum, tamen eorum familiaritatem vitet, & vitiorum attendat confectaria noxia, & ex fontibus vitiorum discat medium, cauendi sibi ab illis;
 - IV. experientia mentishumanae naturam, variasque quibus subest mutationes, nec non affectuum & inclinationum variarum rationes perdiscat;
 - V. plebis discat vitare mores & praeiudicia, vt & iis aliquando obuiam procedere, si opus fuerit, nouerit.
- Inter liberas conuersationes, quas eligere sibi ipsi potest quisque, eo maiori opus est cura litterarum studioso, quum ab ipso pendeat omne damnum, & omne com-
modum



modum hinc oriundum. Eligat itaque non nisi eiusmodi consortia, quibus vel in moribus, vel in litteris proficere valet, & ad illum finem vtatur iisdem legitime. Vt in litteris proficiat, conuersari potest, vel cum aliis litterarum studiosis, vel cum viris eruditionis laude clarentibus. Cum illis communi fine comunique mediolorum obtinendi finis vsu coniungitur; vnde ex consortiis eiusmodi non proficiet, nisi ad communem finem laborauerit vterque, & alter alterum in illo iuuerit, vnde:

- I. Non conuersare, nisi cum veris litterarum studiosis, fuge omnes reliquos, quos facile discernes vita, quam agunt dissoluta, & bonis moribus, rationisque normae plane contraria. Vita etiam illos, qui licet proficere videantur, in litteris eos sectantur, qui ignobili litterisque indigna vita nomen studiosorum in contemptum adducunt.
- II. Cum bonis quoties conuersaris, ita conuersare, vt de rebus vtilibus colloquaris, quae profecisti communices, & quae ipsi didicerunt, ab ipsis participes, exercitia litteraria instituas, & exemplo tuo incites reliquos ad maiora conamina.

In



In eiusmodi autem conuersationibus, consulendum nihilo minus videtur, vt nimiam amicorum vites multitudinem, quod & vtilium amicorum insignis raritas, atque hinc timendum periculum ne inutiles vel noxios inter tam multos tibi accerfas, & timor, ne crebriores amicorum conuentus occasionem tranquille & solitarie meditandi tibi praeripiant, suadet. Si itaque libertatem habes, inter plures eligendi vnum alterumue, eligas illos, qui in eodem studiorum genere, eadem diligentia laborant, qui vel magis in litteris profecerunt, quam tu ipse, vel saltem pari tecum ambulans passu, quorum mens tuae valde est similis, qui & externe tui sunt aequales, ne contentionibus atque ambitione impediatur finis, ad quem tendis, primus princepsque.





CORRIGENDA

ob celeriozem profectiozem excufes.

pag.	1.	cafdem	lege	<i>eafdem.</i>
—	3.	opertet	—	<i>oportet.</i>
—	6.	nomerum	—	<i>numerum.</i>
—	-	intendo	—	<i>intento.</i>
—	7.	fini	—	<i>fine.</i>
—	18.	moltorum	—	<i>multorum.</i>
—	—	diligentiam	—	<i>diligens.</i>
—	21.	Fortiori	—	<i>fortiori.</i>
—	22.	mututinum	—	<i>matutinum.</i>
—	24.	legitime	—	<i>legitime.</i>
—	26.	deligentiam	—	<i>diligentiam.</i>
—	31.	repentendo	—	<i>repetendo.</i>





CORRIGENDA

1. ...

2. ...

3. ...

4. ...

5. ...

6. ...

7. ...

8. ...

9. ...

10. ...

11. ...

12. ...

13. ...

14. ...

15. ...

16. ...

17. ...

18. ...

19. ...

20. ...

21. ...

22. ...

23. ...

24. ...

25. ...

26. ...

27. ...

28. ...

29. ...

30. ...

31. ...

32. ...

33. ...

34. ...

35. ...

36. ...

37. ...

38. ...

39. ...

40. ...

41. ...

42. ...

43. ...

44. ...

45. ...

46. ...

47. ...

48. ...

49. ...


50. ...




mc

Ad 195

(X2258396)






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

METHODICA

SEV DE
STVDIIS APTE INSTVENDIS
PRAECEPTA.



LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII,

23. 2. 06.